Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

adesto precibus nostris quas tibi pro tribulacione nostra effundimus
easque clementer suscipiens tribuas ut quicquid contra nos
dyabolice atque humane moliuntur aduersitates ad nichilum re-
digatur et consilio tue pietatis allidatur ut nullis aduersita-
tibus lesi sed de omni tribulacione et angustia erepti leti in
ecclesia tua sancta tibi gratias referamus. Per. Epistola. Miserere nostri
deus omnium. CCCC. ij. GR. Liberasti nos domine ex affligentibus nos
et eos qui nos oderunt confudisti. V. In deo laudabimur tota die et in nomine tuo confite-
bimur in secula. Alleluia. V. Propicius esto domine peccatis nostris ne quando dicant gentes
ubi est deus eorum. Euangelium. Dicebat Jhesus. Require ad leuam. Offertorium.
Si ambulauero in medio tribulacionis viuificabis me domine et super iram inimicorum
meorum extendes manum tuam et saluum me fecit dextera tua. Secreta. Deus
qui tribulatos corde sanas et mestificatos actu letificas super
hanc oblacionem quam tibi pro tribulacione nostra offerimus inter-
cedentibus omnibus sanctis tuis disnanter attende benignus
suscipe discrimina nostra depelle miseriarum et angustiarum
amoue pressuram ut exuti omnibus que patimur malis
in tuis semper mereamur exultare presidiis. Per. Communio. Memento
verbi tui seruo tuo domine in quo michi spem dedisti hec me consolata est in humilitate mea.
Complenda. Dimitte deus peccata nostra et tribue nobis misericordiam tuam
quam sacramenti celestis participacione exquirimus et
intercedentibus omnibus sanctis tuis humilitatem nostram at-
tende vincula solue delicta dele tribulacionem inspice aduersitatem
repelle affectumque nostre peticionis clementer exaudi. Per. Collecta.
Ecclesie tue quesumus domine preces placatus. pro tribulacione ecclesie.
admitte ut destructis aduersitatibus et erroribus vni-
uersis secura tibi seruiat libertate. Secreta. Protege nos